

# Prologus

**I**ncipit plerumque fratris Nicolai de lyra ordinis fratrum minorum in epistolas Pauli.



**E**cce descripti eam tibi tripliciter: Prover. xxij. Quod ubi de sapientie descriptione dicitur: Sapientia pauli apostoli principaliter consistit in cognitione domini nostri iesu christi: per redemptionem humani generis passus: propter quod dicit Paulus ad Corinthios. n. Non iudicavi me aliquid scire inter vos nisi

fratrum iesum christum et hunc crucifixum. Hanc autem sapientiam descripsit tripliciter. scilicet hebraicis: grecis et latinis: sicut per figuratum fuerat in descriptione tituli crucis qui scriptus fuit hebraice: grece: et latine: sicut habet Jobannis. xij. Per hoc enim quod in tribus linguis facta fuit hec descriptio: figuratum fuit fidem christi crucifixi per totum orbem fore generaliter publicandam: quod potissimum impletum fuit per doctrinam pauli apostoli et scripturam: propter quod potuit dicere verbum preassumptum: Ecce descripti etc. In quo notantur quatuor cause huius apostoli doctrinam. scilicet effectiva: finalis: et formalis. Circa primum est notandum quod Paulus fuit scriptor huius doctrine: quod notat cum dicit: Ecce descripti. hoc tamen fuit ministerialiter: Christus autem principaliter: propter quod dicit gal. i. Motus vobis facio fratres euangelium christi quod euangelizatum est a me: quod non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud: neque didici sed per revelationem iesu christi. Et ideo quod a christo revelante et dicente hanc doctrinam descriptis convenienter dicere potuit verbum Baruch quod habet hier. xxxvj. Ex ore suo loquebatur ad me quasi legens in libro omnes sermones istos et ego scribebam in volumine atramento. Baruch qui interpretatur benedictus figura fuit apostoli qui consecutus est misericordiam et benedictionem dei. Dicemus quoque qui interpretatur exultans de iesu christum figuravit quem deus pater exaltauit et dedit illi nomen: quod est super omne nomen: ut dicit philip. ij. Et ideo bene potuit dicere paulus apostolus de christo: Ex ore suo loquebatur ad me quasi legens in libro. id est distincte et aperte mihi revelando: et ego scribebam secundum eius revelationem in volumine atramento: epistolas enim suas saltem aliquas vel pro aliqua parte earum manu propria descripsit: unde in fine prime epistole corinthios dicit: Salutatio mea manu pauli supple scripta est. hoc enim modo signabat epistolas suas per notarium conscriptas: ne sub nomine eius epistole a falsis apostolis scripte a fidelibus reciperentur. Circa secundum sciendum quod sicut in philosophia naturali corpus mobile est subiectus sub ratione absoluta: et in physicalibus libris sub rationibus determinatis: ut corpus mobile ad situm in libro celi et mundi: et corpus mobile ad formas in libro de generatione et corruptio. sic deus sub ratione absoluta est subiectus in sacra scriptura: in partibus vero eius sub determinatis rationibus: ut in veteri testamento sub ratione creationis et gubernationis: et in nouo sub ratione redemptionis in generali. In epistolis vero pauli sub ratione magis determinata. scilicet sub ratione redemptionis per suam passionem: ideo dicit Paulus ad Corinthios. i. Predicamus christum crucifixum iudeis quidem scandalum: gentibus autem stultitiam ipsis autem vocatis iudeis atque grecis filium dei christum dei virtutem et dei sapientiam. Hec igitur sapientia doctrine Pauli que est causa subiectiva tangit cum dicitur: Eam de qua dicit Act. xij. Nos vobis eam annunciamus que ad patres nostros repromissa facta est de christo pro salute mundi passure. Circa tertium scilicet determinandum quod causa finalis huius doctrine est utilitas totius ecclesie que notatur cum dicitur: Tibi id est ad utilitatem tuam: quia per hanc doctrinam intellectam et opere adimpletam habetur vita gratie in presenti: et

glorie in futuro: de quo potest accipi quod dicitur per hieronimum. Precepta mea cor tuum custodiat: longitudinem enim dierum et annos vite et pacem apponent tibi. Dicit annos vite quantum ad vitam gratie: et longitudinem dierum quantum ad vitam glorie que eternitatem includit a parte post: et pacem id est quietem appetitus: quod de ratione finis ultimi est: quod quietet totaliter appetitum. Circa quartum. scilicet causam formalem est sciendum: quod duplex est forma doctrine. scilicet forma tractatus et forma tractandi. Forma tractandi est modus agendi: qui est triplex apud philosophos scilicet diffinitivus: divisius: et probativus: et hoc tripliciter modo videtur aliunde apostolus. Tamen in epistola ad hebreos fide diffinit dicens: Fides est substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium. Similiter prima corinthios. xij. gratiam dividit dicens: Divisiones autem gratiarum sunt idem autem spiritus. et subdit: Alii quidem per spiritum datur sermo sapientie etc. similiter. i. Corint. xv. et christi resurrectione probat resurrectionem generalem mortuorum esse futuram: sicut possibile est in tali materia. Et hec formalis causa tangitur cum dicitur: Tripliciter de quo potest accipi quod dicitur ecclesi. iij. Funiculus triplex difficile rupitur. Forma vero tractatus consistit in divisione doctrine dividitur autem tota doctrina in tres partes: scilicet per quod tribus precibus gentibus scribit: primo romanis qui precelebant alias gentes in potentia. secundo grecis qui precelebant alias gentes in sapientia. tercio hebreis qui precelebant in divine legis noticia: Romanis tamen scriptis vna epistola que primo exponitur: sicut est prima respectu aliarum.

Postilla Nicolai de lyra super prologum in epistolam ad Romanos.

**R**omani etc. In hoc brevi prologo ad compendiosam manifestationem dicendorum in subsequenti epistola. tria breviter tanguntur: quia primo describuntur illi quibus epistola illa est destinata: et hoc in principio prologi dicitur Romani. secundo ponitur causa finalis ut quare scripta est causa motiva: ibi. Vos reuocat apostolus. tercio tangitur locus a quo est transmissa: ibi. scribens eis a corintho. Prima pars dividitur in duas: quod primo describuntur a regione sine patria: ibi. Partes italicie. secundo describuntur a religione falsa: ibi. Hi presentem sunt a falsis apostolis: ubi circa deceptionem tria tanguntur: primo deceptores: ibi. A falsis apostolis. secundo forma deceptionis: ibi. Sub nomine domini nostri iesu christi. tercio materia in qua erant decepti: ibi. Quia in leges et prophetas erant inducti quantum ad observantiam legalium et ceremoniarum legis quibus tamen christus sinez imposuit. Circa causam finalem duo tanguntur: quia primo ponitur reuocatio ab errore falsitatis: ibi. Vos reuocat apostolus. secundo inuocatio ad cognitionem veritatis: ibi. Ad veram euangelicam veritatem. Et qua breui de uisione satis patent partes prologi. Circa vero terciam partem que tangit locum a quo transmissa est epistola altercatio est et doctorum saltem verbalis controversia: Nam dicit baymo quod ab athenis ciuitate grecorum sit transmissa romanis: quod non ipse non petrus vel aliquis duodecim apostolorum primum instruit: sed quidam indeorum credentium qui fide christi ab apostolis precepta venientes romanum ubi princeps orbis reuocabat que apud hierosolimam didicerant romanis euangelizauerunt. Origenes vero dicit eam missam a corintho. cui consonat finis presentis prologi: cum dicit: Scribens eis a corintho. Et pro isto inducitur quod scribit apostolus capitulo ultimo presentis epistole: Comendo vobis prebeni sororem nostram que est in ministerio ecclesie que est athenis: chencris vero ut dicit Origenes locus dicitur corintho vicinus: immo portus ipsius corinthi. Harum autem cotitatum consuetudo dissolui potest: ut dicitur paulum per teo epistole scripsisse athenis: corinthi vero perfecisse: atque eam inde romanis destinasse.

## Prologus

Incipit prefatio sancti Hieronymi  
in omnes epistolas sancti Pauli.

**Q**uoniam queritur: quare post euangelia: que supplementum legis sunt: et in quibus nobis exempla et precepta viuendi plenissime digesta sunt: voluerit apostolus has epistolas ad singulas ecclesias destinare? Hac autem causa factum videtur: vt scilicet initia nascentis ecclesie nouis causis existentibus preueniret: et vt presentia atq; orientia refecaret vicia: et post futuras excluderet questiones: exemplo prophetarum: qui post edita lege moysi: in qua omnia dei mandata legebantur: nihilominus tamen doctrina sua rediuita semper populi compresere peccata: et propter exemplum viuendi libros ad nostram etiam memoriã transmiserunt. Deinde queritur: Cur non amplius quam decem epistolas ad ecclesias scripserit? Decem sunt enim cum ea que dicitur ad hebreos. Nam relique quatuor ad discipulos specialiter sunt porrecte: vt ostenderet nouum non discrepare a veteri testamento: et se contra legem non facere moysi: ad numerum primorum decalogi mandatorum suas epistolas destinauit: et quot ille preceptis a pharaone instituit liberatos: totidem hic epistolis a dyaboli et idolatrie seruitute edocet acquiros. Nam et duas tabulas lapideas duorum testamentorum figuram habuisse vni eruditissimi tradiderunt. Epistolam sane que ad hebreos scribitur: quidam Pauli non esse pretendunt eo quod non sit eius nomine titulata: et propter sermonis stilis distantiam: sed vt barnabe iuxta tertullianum: aut Luce iuxta quosdam: vel certe clementer discipuli apostolorum et episcopi romani ecclesie per apostolos ordinati. Quibus respondendum est: si propterea Pauli non erit: quia eius non habet nomen: ergo nec alius cuius erit: quia nullius nomine titulatur. Quod si inconueniens absurdumque est ipsius magis esse credenda est: que tanto doctrine sue fulget eloquio. Sed quoniam apud hebreorum ecclesias: quasi destructor legis falsa suspitione habebatur: voluit tacito nomine te figuris legis et veritate christi reddere rationem: ne odium nominis in fronte pretitulati utilitate excluderet lectionis. Non est sane mirum si eloquentior videatur in proprio: id est hebreo quam in peregrino: id est in greco: quo ceterae epistolae sunt scripte sermone. Nouet etiam quosdam quare romanorum epistola in primo sit posita: cum eam non primo scriptam ratio manifestet. Quia hanc se proficiscentes hierosolymam scripsisse testatur

cum corinthios et alios iam ante vt ministerium quod secum portaturus erat colligerent: literis adhortatus sit. Unde et intelligi quidam volunt ita omnes epistolas ordinatas: vt prima poneretur quam posterior fuerit destinata: vt per singulas epistolas gradibus ad perfectiora veniretur. Romanorum namque plerique tam rudes erant: vt non intelligerent tei se gratia et non suis meritis esse saluatos. et ob hoc duo inter se populi conflictarent. Idcirco illos indigere asserit corrigi: vicia gentilitatis priora commemorans. Corinthiis autem iam dicit scientie gratiam esse concessam: et notat omnes increpat quam cur peccantes non increpauerunt reprehendit: sicut ait: Audite inter vos fornicatio. Et iterum: Congregatis vobis cum meo spiritu tradere huiusmodi sathane. In secundo vero laudant: et vt magis ac magis proficiant commendentur. Salathie vero iam nulli criminis arguunt: nisi hoc tantum quod callidissimis pseudo apostolis crediderunt: Ephesii sane nulla reprehensione: sed multa laude sunt digni: quia fidem apostolicam seruauerunt. Philippenses etiam multo magis collaudantur qui nec audire quidem falsos apostolos voluerunt. Thessalonicenses nihilominus in duabus epistolis omni laude prosequitur: eo quod non solum fidem inconcussam seruauerunt veritatis: sed etiam in persecutione civium fuerint constantes inuenti. Colossenses autem tales erant: vt cum ab apostolo visi corporaliter non fuissent hac laude digni haberentur. Et si corpore inquit absens sum: sed spiritu vobiscum sum gaudens et videns ordinem vestrum. De hebreis vero quid dicendum est: quorum thessalonicenses qui plurimum laudati sunt imitatores facti esse dicuntur? Sicut ipse ait: Et vos fratres imitatores facti estis ecclesiarum dei que sunt in iudea. Eadem enim passus estis et vos a contribulibus vestris: que et illi a iudeis. Apud ipsos quoque hebreos eadem commemorat dicens: Nam et vincis compassi estis: et rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis: cognoscetes vos habere meliorem et manentem substantiam.